



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quae sit allegoria sabbathi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

manavit hoc exemplum à populo Israël, qui sacrificari offerebant victimam, Leuit. 2. 3. & 4 & partem dabant sacerdotibus. Ideoq; scriptum est Deuter. 16. Non apparebis vacuus coram me. Et si rectè oblatio inter opera sabbathi numeratur, quæ etiam placet Deo, id est, si fit vt iuuentur primùm ministri, & deinde pauperes: nam vt ministerium verbi conseruetur, debemus ministris gratiam & mercedem, & quòd nondùm oblationem, sed etiam eis omni tempore debemus alia maiora officia: nam per oblationem ministri, significatur omnis reuerentia quæ debetur ministro, Gal. 5. Is qui catechizatur, communicet &c. & 1. Corint. 9. Qui altari seruit, viuit de altari. Attamen superstitiosa opinio in oblationibus improbãda est, qualis fuit olim ethnicorum & multorum nostris temporibus, qua ingentia donaria attulerunt in templum, non hoc fine, vt ministros verbi aut pauperes iuuent, sed quia sentiebant hoc ipsum opus Deo tanquam cultum peculiarem atq; honorem, & mereri sibi gratiam & salutem hoc opere, sicut hac iniusta opinione Iudæi cumulabant sacrificia: quare reprehenditur hæc superstitio opinionum Psalm. 49. Non merentur ergo opera sabbathi iustificationem, sed sunt à iam iustificatis & baptizatis fidelibus, tamen habent sua promissa præmia propter Christum ex misericordia in hac & post hanc vitam, 1. Corint. 3. sicut enim stella differt &c.

3. Tertiò, Allegoria sabbathi propria est, quòd sabbatum significat statum illum instauratæ naturæ post resurrectionem, in quo non solùm cessabunt labores corporis, sed etiam calamitates & peccata. Non erimus occupati carnalibus officijs, corpora non edent aut bibent, erimus liberi à peccatis & morte: talis quies erit illa noua vita, sed non tantùm erit quies sed accedet sanctificatio, quæ est præcipua pars sabbathi, quia in illa quiete fruemur notitia Dei, & glorificabimur



ficabimus Deum, Ioan. 17. Hęc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti filium tuum Iesum Christum. Ergo alia vita nostra erit in futuro in notitia Dei & glorificatione, quę dicitur hic inchoari, quatenus fide apprehendimus Deum & eius verbum. Sed nunc videmus per speculum in ænigmate, postea autem clariùs quasi de facie ad faciem, 1. Cor. 13. Hęc est allegoria veri sabbathi, sicut docet Apostolus Hebr. 4. & Esa. vltimo, erit sabbatum perpetuum. Monet igitur sabbatum quietem illam futuram in vita æterna, in qua homines notitia Dei fruuntur, & Deum glorificabunt, & quauis allegoria ad futuram vitam pertinet, externum tamē sabbatum conseruare maximè opus est propter ministerium verbi Dei & cæremonias, id est, vt cantemus, laudemus Dominum, &c. vt summa beneficia Dei veneremur & conseruemus. Aliqui etiam dicunt Allegoriam sabbathi esse vacationem, cùm patimur Deum agentem in nobis: ideo sabbatum intelligunt de patientia, quę allegoria tametsi sit approbanda, non tamen sic propria est, vt est antedicta, sed quòd denotet futuram quietem: externum autem sabbatum est propter ministerium verbi Dei.

QUARTVM DEI PRÆCEPTVM, Honora patrem & matrem.

## CAPVT IX.

## ARGVMENTA.

1. *Quarè Deus hoc præceptum dedat.*
2. *Qui sint parentes quos honorare debemus.*
3. *Quod hæc obedientia & opera ciuilia, sint cultus Dei, & Deo placeant maximè.*



Ostquam Deus in tribus præceptis prioris tabulæ docuit, quem cultum interiorem & exteriorē ipse à nobis exigit: nunc docet in